Morbio 26 (25)

In nomine domini amen Nos Joachimus diuina miseratione Abbas, Wolfgangus decanus, fratres conuentus et monachi monasterij
diue virginis Marie Loci Heremitarum ordinis sancti benedicti diocesis Constantiensis sedi apostolice immediate subiecti, Et Ammanus sena-
tusque cantonis Suitie magne lige superioris Alemanie prenominati monasterij in dominio nostro siti defensores, Tenore presentium notificamus
omnibus ac singulis quorum interest aut quibus nosse opportunum fuerit Quod anno preterito Millesimo quingentesimo quadragesimo septimo inter
Reuerendissimum et Illustrissimum principem et dominum Dominum Herculem gonzaga sacrosancte Romane ecclesie diaconum Cardinalem Mantuanum
tituli sancte Marie noue et statuum Illustrissimi Marchionis Vespasiani de Gonzaga (pie memorie) protectorem ex una. Et certum nostrorum prescriptorum procu-
ratorem strenuum dominum Theodericum in der halten militem auratum altera ex parte conuentum fuerit pro parte cuiusdam debiti scilicet septingento-
rum scutorum in auro persoluendorum per Magnificum Petrum Anthonium miserotte negotiorum gestorem et factorem generalem prefati quondam Illustris-
simi domini Marchionis Vespasiani, ad quattuor terminos et ad primum centum scuta et ad sequentes tres terminos in quibuslibet ducenta
scuta, ut dilucidius in instrumento conuentionis declaratur, qui ante aliquot annos preteriti sunt Et predictorum septingentorum scutorum solummodo
ducenta soluta reliqua vero insoluta Sciencio nos prefati Abbas, decanus, fratres conuentus et monachi prescripti Monasterij Et Ammanus
senatusque predicti Cantonis Suitie, facimus, constituimus, creamus et ordinamus indubitatum atque legittimum procuratorem Vigore presentium
Spectabilem atque nobilem Bellizonensem ciuem Andream tatto ad petendum, exigendum ac recipiendum predicta quingenta scuta una cum expensis.
atque de receptis pecuniis sic petendum acceptilationem dare, aliaque in premissis faciendum que circa ea necessaria videntur et opportuna. Promittimusque
prenominato procuratori nostro in premissis plenam adhiberi fidem, Quicquid enim nostrorum omnium aget nomine, ratum firmumque habebimus.
non secus ac si nos ipsi egissemus omni dolo et fraude seclusis In quorum fidem ac testimonium has presentes literas procuratori nostro dedimus cum
nostro solito sigillo Abbatie et conuentus prescripti monasterij Nostroque totius nationis Suitie consueto sigillo consignatas Ex Heremo die
Lune decimo octauo mensis Martij Anno domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto indictione terdecima pontificatus autem
sanctissimi domini nostri Julij diuina prouidentia Pape huius nominis tertij Anno sexto —

1555

Milano il 3 Novembre 1860
Io sottoscritto ho venduto al sig. Canonico [illegible] Sala
questa pergamena In fede Michele Ghisalberti

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle

Morbio 26 (25)

XXIX, 229
1551

1548

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871301289-16/fragment/page=0002
DFG